



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 162. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, noli scribere, Rex Iudæorum. v. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Græco & Latino textu potest tolli sensus verus & supponi falsus.
Domine Iesu gratias tibi ago quod Ecclesiæ tuæ dilectæ in cruce ostendi-
 disti quibus linguis te, potissimum in sacris, maxime sacrificio seu Li-
 turgia, quæ est Passionis tuæ memoriale, debeat honorare. Laudo etiam te
 S. Mater Romana Ecclesia, quæ constanter his linguis semper Dominum
 honorare decrevisti, nec sordes aliarum linguarum permittis induci in sac-
 ra. Indies tu his tribus linguis Deum honoras, dicens ex Hebraica Osa-
 na, ex Græca Kyrieleyson, ex Latina cætera fere omnia.

§. 162. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudeorum; noli scribere, Rex Iudeo-
 rum. v. 21.*

Magna apparet in his Iudæis audacia, arrogantia & impudentia,
 qui uti a te dictaverunt Pilato quomodo deberet Dominum damnare,
 nunc etiam volunt dictare quomodo debeat scribere.

O Filij hominum nolite vos obsecro dare Passionibus vestris, quia vete-
 vos protrubant in extremas miseras, quid non isti Iudæi moliantur?
 quid non tentant? quomodo laborant, & quid effecerunt? Quod Iosephi
 fratres, hi cum super se regnare noluerunt, & ideo in Ægyptum vende-
 runt, & hoc fuit medium quo super eos regnaret potentius & terribilius,
 quam si eum in sua patria quietum vivere permisissent. Ita plane, omnia
 quæ Iudæi adhibuerunt, ut Domino nocerent, gradus fuerunt quibus Do-
 minum erexerunt.

§. 163. *Sed quia ipse dixit: Rex sum Iudeorum. v. 21.*

Modo dictaverunt Iudæi quid scribi non deberet, iam dicant quid
 ipsis scribi placeat. Sed quam prudenter videamus. quomodo ergo Iesus
 Nazarenus, quia ipse dixit Rex sum Iudeorum, quid hoc est ne ideo Iesus
 Nazarenus quia ipse dixit, Rex sum Iudeorum. Nequaquam, Iesus est, quia
 ita vocatus est ab Angelo & in circumcissione ei id nomen impositum est.
 Nazarenus autem quia natus est in Nazareth, & etymologiam nominis
 eiusdem implet. Si vos Pilatus audiret certe ipsa scriptura eius falsifica-
 tionem proderet incongrua cohesione phrasos.

Habent hoc omnes falsarij & mendaces, quod nequeant ita fabre men-
 tiri, ut in ipsorum verbis & scriptis mendacium & falsitas non possit
 non deprehendi. In concilium eorum non veniat anima mea.

§. 164. *Respondit Pilatus: quod scripsi scripsi. v. 22.*

*Quia Pilatus notabat Hæbreos Pontifices & Principes, ut suam ma-
 gis*